



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres

Commire, Jean

Lutetiæ Parisiorum, 1678

Carolo Sancta-Mauro Duci Montauserio, Cum Normanniae Praefectus
Rothomagi Exciperetur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14818

Sola sibi. Manet augustos nam prima parentes
 Laus opere in tanto. Patris ab felicibus ulnis,
 Matris ab amplexu venient in corpora vires,
 Inque animum. Insistent studiis certantibus ambo
 Mores prole sua dignos, Annæque nepote
 Induere, ac teneræ totos se infundere menti.
 Tu vivos monitus, & magna exempla sequendo,
 Majora efficies: geminatis laudibus illos
 Quin etiam superabis, utrique simillimus unus.

CAROLO SANCTA-MAURO
 DUCI

MONTAUSERIO,

CUM NORMANNIÆ PRÆFECTUS ROTHOMAGI EXCIPERETUR.

NEUSTRIA frugiferæ Cereri gratissima tellus,
 Fœta viris; cui stant centum cum mœnibus arces,
 Cui portus totum missuri vela per orbem
 Litora prætexunt; torvi Mavortis alumna,
 Phœbi eadem studiis, lenique addicta Minervæ,
 Pace simul belloque insignem heroa salutat.

Illa quidem tristis, luctuque obducta recenti,
 Et cinere incomptos etiamnum sordida crines,
 Principis heu! cari miserum testatur amorem,
 Flebilibusque gemens alternat verba querelis,
 Non aliter placitura tibi. Tamen accipit ingens
 Casibus in tantis, qua fas est cumque, levamen;
 Quod gremio collapsa tuo amplexuque recumbit.
 Nec totum leto putat amisisse parentem;
 Cum venias patrii affectus & pectoris hæres,
 Promittasque alium nobis in præside civem.

K

Felix sorte sua provincia ! quæ tibi de te
 Judicium regis , verumque probavit amorem ;
 Cum permissa tibi est. Æquos cum conjugé honores
 Dividis. Huic infans , magni spes altera regni ,
 Parsque tuæ ejusdem melior concredita curæ est.
 Ipsa sinu sacrum foveat officiosa fideli
 Depositum : tibi se fatum & fortuna resignat
 Publica. Delphinum custodit Julia Francis ;
 Tu mare Delphino , regnandaque litora servas.

Atque illum , postquam membris florentibus anni
 Addiderint vires , nil jam nutricis egentem
 Accipies primæ custos rectorque juventæ :
 Principis & claras docilem informabis ad artes ,
 Pressa patris monstrans vestigia. Nam neque Grajos
 Sectari ille duces , nec quos tulit æmula Roma ,
 Dignetur: quamvis Pellæi gesta Philippi ,
 Et gnati veteres miretur fama triumphos ;
 Suppostasque jugo gentes , mundumque minorem
 Cæsaribus. Puer Lodoix magis omnibus unus
 Sufficiet : seu Martis amet decerpere lauros ,
 Seu malit capiti mitem circumdare olivam .
 Quascumque is decorum partes laudumque sequatur ,
 Inde exempla petat : felix genitore magistro
 Tyro ingens crescat , factisque æquare laboret.

Interea tamen annales & nostra volutans
 Tempora; te pulchræ illectum dulcedine famæ ,
 Suspiciet nondum belli patientibus annis
 Alpinas calcare nives , perque invia saxa
 Eridani ripis succedere : ubi inclytus Hector ,
 Intutos Rosinani ausus defendere muros ,
 Ausonium virtute sua tardavit Achillem .
 Hinc Casalis ruis auxilio , quam miles Iberus

Hector de Mont-
 auier. qui ad bal-
 nea Bormii dein-
 de casus est, Ro-
 finanum obfidete
 Spinola fortissime
 propugnavit.

CARMINUM LIB. II.

7

Fulmineo obsessam quatiens circum ære tonabat :
 Immemor heu ! quantas tibi pro dementibus ausis
 Deberet pœnas. Jam te Germana prementem
 Agmina , & Austriaco mutantem sanguine Rhenum ,
 Regius admirans discet puer : ut tibi fortis
 Succubuere fero tandem certamine Boii ;
 Ut servanda tuis Alsacia concidit armis :
 Gaudebitque tuens aquilas captivaque signa.
 Tum fræno astrictum lustrabit Nerea , & actis
 Clara tuis juga Dunkerkæ. Nunc ille tenacem
 Obsequii , magnisque fidem laudabit amicis
 Prælatam : nunc Santonicæ sub mœnibus urbis
 Bella leget , vetitoque abductos foedere cives ;
 Captaque vi castella hosti male prodita Ibero.
 Nec parcer lacrymis : (has exprimet æmula virtus
 Et pietas) magnam cernens per vulnera lata
 Ire animam , & pulchra mortem pro laude pacisci.

Sarnensi ad Bri:
 facum pugna ter
 congressus , ter
 dum equestri ho:
 stium vexillo re-
 diut.

Hæc & plura legens rectori plaudet alumnus ,
 Inque tuo propriam laudem sibi quæreret honore.
 Et merito. Neque enim sœvi in discrimina Martis
 Cæca animi te vis rapit & temerarius ardor :
 Ut quondam prætentata latronum in tela leones
 Præcipitant. Fortem dicit mens provida dextram :
 Consilioque jubet casus servire secundos ,
 Fortunam virtute regens. Nec sola domare
 Corpora scis : animos , quæ maxima gloria , blando
 Cum libet , eloquio cogis frænasque volentes.
 Nec te qui cantu Thebanam condidit arcem ,
 Saxis ad numeros surgentibus ; aut fide , duras
 Qui potuit tigres infletere Thracius Orpheus ,
 Æquiparent. Faciles veniunt ad carmina Musæ ,
 Otia cum gravibus juvat intermittere curis.

K ij

Nunc illas studiosa suo tibi Neustria mittit
 Nomine : quæ sensus populorum & publica vota
 Voce ferant , cumque officio testentur amorem.
 Magna quidem de te nobis promisimus omnes:
 Spem tamen evinces meritis ; solumque querentur
 Nil ultra posse optari , te præside , cives.

CELSISSIMO PRINCIPI
F E R D I N A N D O
 EPISCOPO
 PADERBORNENSI &c.

ME novus urget amor : juvat ire & visere sacros
 Amisii fontes : qua manet origine flavus
 Luppia ; queis Paderæ se moenibus unda coronet
 Nascentem ; quæ famosus riget arva Visurgis ;
 Quos Romana locos clades & funera Vari ,
 Et libertati Germanæ erecta trophyæ ,
 Arminiusque suis sanctum ac venerabile nomen ,
 Nobilitent. Salve ô cœlo gratissima tellus ,
 Indigetum ac regum cunis dignata superbis .
 Cui quondam totum complexa potentia mundum
 Cessit ; & imperii præsgia certa futuri ,
 Victrices populorum aquilas fascesque reliquit .
 Sed non tantus amor Latii vestigia fastûs
 Lustrare , & positam Drusorum manibus aram ,
 Castraque Saxonico quæ Carolus imbuit ulti
 Sanguine , quosque sibi addixit victoria campos ;
 Quantum optem magni vultus atque ora tueri
 Principis: ille animum pompis magis omnibus unus